

ter fieri non potest, secluso periculo revelationis, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad illud conducentia, & potest quis peccata scribere, & statim post confessionem perfringere, vel comburere chartam, vel alio modo periculo occurrere. Hæc autem obligatio sic confitendi datur tam comparatione præcepti ecclesiastici confessionis annuæ, quam præcepti divini.

43. Inq. 3. An obliget præceptum annuæ confessionis ad faciendam eam per interpretem? R. neg. Quia Ecclesia non censetur obligare cum tanto onere: ut constat ex capite, *Omnia utriusque sexus*. Ubi expresse habetur, quod omnis fidelis tenetur solus confiteri sua peccata semel in anno. Non autem confitetur solus, qui simul cum interprete confitetur, ut tenet communis sententia Theologorum.

44. Inq. 4. An prævidens non posse in fine anni confiteri tenetur confessionem anticipare? R. affirm. Quia præceptum obligat pro toto anno, & pro qualibet illius parte: ergo prævidens impedimentum ad illud postea implendum, tenetur antea implere: sicut qui primo mane diei festi prævidet non posse postea audire Missam, aut quolibet die recitare horas canonicas, debet eas anticipare. Idem dicunt plures de communione Paschali: quia sicut potest ex rationabili causa differri, ita ex eadem causa potest, & debet anticipari. Hæc est opinio securior, & omnino sequenda, esto etiam contraria validis rationibus innitatur.

45. Inq. 5. An octogenarii excusati sint a præcepto annuæ confessionis? R. Quod nec octogenarii, nec centenarii, aut ulterius excusantur a confessionis præcepto: quia obligat omnes fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint. Si autem Narbona oppositum asseruit, intelligendus est de senibus, qui ob excessum ætatis discretionem, & ratione destituuntur; proindeque ab ecclesiasticis præceptis excusantur. Nec audiendi sunt, qui meretrices ab hoc præcepto eximunt, quia lex generalis omnes comprehendit.

46. Inq. 6. An sint aliqua causa ab huiusmodi præcepto excusante? R. Quod licet Authores communiter asserant posse dari plures causas, ab hac obligatione excusantes, ut impotentia physica, & mora-

lis, sub quibus comprehenditur periculum gravis damni in vita, fama, honore, aut fortuna; nihilominus re bene perpensa vix occurrere valet causa legitima; ad omittendam confessionem annualem; quia toto integro anno potest impleri, deinde si aliter fieri non valet, potest confessio dimidiari, valet etiam anticipari, postponi, seu differri. Quis igitur inter catholicos tanto tempore causam legitimam omittendi confessionem habere queat? Unde rarissime admittenda est excusatio ab huiusmodi implenda obligatione. Pœnas violatoribus huius præcepti impositas vide in fine capituli sequentis.

CAPUT III.

De communione Paschali.

47. **P**rimis Ecclesie sæculis florida illa ætate tanta fuit fidelium pietas, & devotio, ut quotidie ad sacram Synaxim avidè accederent: temporis vero decursu frigescente caritate, languente devotione, necessum fuit, ut circa octavum sæculum Ecclesia sacram communionem fidelibus præciperet. Quare Fabianus Papa decrevit, ut ter saltem in anno omnes laici communicarent, in Pascha, videlicet, Pentecostes, & Natali Domini. Anno autem 1215. præceptum hoc moderatum fuit ad unicam pro anno communionem in Concilio Lateranensi. O tempora! O mores! Pari passu currunt devotio fervida sacrosanctæ Eucharistiæ, ac honestas, & probitas morum. Pabulum cælestis in Ecclesie primæva ætate reficiebat fideles ad martyria subeunda pro Christo; nunc autem vix ejus leges servantur ex desidia ad illud recipiendum.

PUNCTUM I.

De præcepto annuæ communionis.

48. Inq. 1. Quid sit tertium Ecclesie præceptum? R. Est de communione in Paschate suscipienda. Constat hoc præceptum ex laudaro cap. *Omnia utriusque sexus*. Et ex Trident. sess. 13. can. 9. ubi sic dicitur: *Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, te-*

neri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, iusta præceptum sanctæ matris Ecclesie: anathema sit. Nominè Paschatis non intelligitur solus dies resurrectionis, sed quindecim dies a Dominica palmarum usque Dominicam in albis inclusive juxta praxim Ecclesie, & declarationem Eugenii IV. Imo aliquibus in locis amplior extensio temporis conceditur pro communione paschali suscipienda.

49. Inq. 2. Quia ætate pueri ad communionem paschalem teneantur? R. Eos teneri quando ad annos discretionis pervenerint, ut decernitur ab utroque Concilio Lateran. & Trident. Aliqui asserunt eos teneri anno ætatis decimo, alii duodecimo, alii quarto decimo, vel quinto decimo. Sed revera tenentur, quando sufficientem discretionem habent ad distinguendum panem cælestem a communi. Dicere autem majorem exigi discretionem ad communionem quam ad confessionem non probatur: quia major discretio requiritur ad efformandum dolorem supernaturalem, quam ad misterium Eucharistiæ credendum, & venerandum. Puer enim, qui verum dolorem, & detestationem de peccatis, propositumque de cætero non peccandi efformat, veram fidem in exercitio habet, hoc est, actus fidei circa Dei bonitatem, majestatem, & justitiam elicit, quod quidem difficilius est, quam Christum Dominum in Eucharistia credere, & suscipere.

50. Præterea ad conficiendum poenitentiae sacramentum, quodammodo poenitens cooperatur, apponendo actus doloris, confessionis, & satisfactionis in voto pro materia; ad sacramentum autem Eucharistiæ conficiendum non cooperatur, sed merè se habet ut subjectum, ad quod non tantum exigitur, cum sacramentum jam sit Perfectum. Cur igitur major discretio postulat ad communionem, quam ad confessionem? Corent Parochi, & parentes, ut pueri sufficienti discretionem polentes ad suscipiendum utrumque sacramentum quantocius reverenter accedant. Si enim antiquitus infantes ante usum rationis statim post baptismum sacro Eucharistiæ pabulo reficiebantur; cur hodie annus præcisè decimus spectandus est in pueris, si antea sufficienti discretionem potiantur?

51. Negandum minime est hoc nego-

tium committi prudentiæ Sacerdotis, ita tamen ut non multum differat pueris communionem post confessionem. In aliquibus celerius, in aliis tardius affluget lumen rationis, qui ergo sive post septennium, sive post octennium capaces sunt confessionis faciendæ, apti etiam sunt communionis paschalis, quidquid intra annum non communicent, esto sæpius confiteantur, nisi aliud ex justa causa discretioni Parochi agendum videatur. Notet autem Parochus doctrinam D. Thom. dicentis: *Quando jam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.* Ita 3. p. q. 80. art. 9. ad 3.

52. Inq. 3. An qui tempore paschatis omisit communionem, tenetur postea quam primum communicare? R. affirm. Quia huiusmodi communicatio non præcipitur in paschate præcisè ob cultum illius temporis, sicut Missa in die festo, aut jejunium in honorem alicujus sancti; sed nediteratur ultra annum, & ad expiendum divinum præceptum, ita ut communicatio præcipiatur primario, & velut secundario assignatur tempus impletionis; ergo qui assignato tempore eam omisit, tenetur quam primum ad ejus impletionem; sicut qui tributum, vel annuos redditus solvere debet tali die, aut mense, illis tempore assignato non solutus, tenetur quam primum ad eorum solutionem.

53. Similiter qui prævidet impedimentum ad suscipiendam communionem tempore paschali, probabilius tenetur anticipare, ut diximus num. 44. Addimus ut certum, quod prævidens impedimentum communicandi hebdomada resurrectionis, debet communicare hebdomada sanctæ quia a Dominica palmarum incipit tempus assignatum pro adimplendo præcepto: sicut ergo prævidens impedimentum pro Missa audienda hora decima, & ultra, tenetur ad illam anticipandam, ita in presentia. Qui ex prævisio impedimento anticipavit communionem ante hebdomadam sanctam, illo non occurrente, tenetur Communionem iterum sumere tempore ab Ecclesia designato. Hæc ducti ratione tenent plures, neminem teneri communionem suscipere ex vi huius præcepti ante tempus paschale, licet pro isto prævideat impe-

dimentum, quia actu posito ante legis præscriptum non impletur præceptum.

PUNCTUM II.

Alia dubia circa communionem paschalem.

54. Inq. 1. An per communionem sacrilegam adimpleatur hoc præceptum? R. neg. *Primo*: Quia ita constat ex propos. 55. damnata ab Innoc. XI. *Præcepto communionis annuæ satisficit per sacrilegam Domini manducationem. Secundo*: Quia præceptum Ecclesie est determinatio præcepti divini: sed divinum præceptum non adimpletur per communionem sacrilegam: ergo nec ecclesiasticum. *Tertio*: Quia Ecclesia præcipit communionem, quæ uniat fideles cum Christo, ergo non adimpletur per communionem sacrilegam, quæ non uniat, sed separat fideles a Christo.

55. Inq. 2. An excommunicati, & Interdicti excusentur a communionem paschali? R. affirm. Quia habent impotentiam spiritualem: per excommunicationem enim, & interdictum privati sunt a sacramentorum participatione. Peccant tamen contra hoc præceptum, si sua contumacia obicem ponant, aut absolutionem non curent.

56. Inq. 3. An fideles teneantur sumere communionem paschalem de manu Pastoris proprii, & in propria Parochia? R. affirm. Constat ex laudato Concilio Lateran. Nomine autem proprii Pastoris intelligitur summus Pontifex in toto orbe, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia. Qui tempore Paschatis degunt in aliena Parochia, in ea, qua reperiuntur, possunt adimplere præceptum communionis paschalis. Unde peregrini, & alii a domicilio proprio absentes, ita ut ad proprios Parochos accedere non possint, valent ex eorum tacita licentia juxta declarationem Eugenii IV. a religiosis, aliisque Sacerdotibus, facultatem administrandi Eucharistiam habentibus, communionem paschalem suscipere, & præcepto satisfacere: nisi cito reversuri ad propria velint differre communionem ad eam in propria Parochia post regressum desumendam.

57. Similiter qui cum licentia Parochi certo præsumpta, & moraliter certa communicant in alia quacumque Ecclesia, sive seculari, sive regulari tempore paschali,

sciens certo, quod ita velit proprius Parochus, præcepto satisfacit: quia habens talem certitudinem moralem de Parochi voluntate, de ejus licentia id facere censetur. communicans autem in cathedralis licentia Parochi, minime satisfacit præcepto: quia Cathedralis non est parochia communis, ut aliqui putarunt. Sacerdos, ubicumque celebret, satisfacit huic præcepto. Si vero non celebret, tenetur communicare in propria Parochia, & de manu proprii Sacerdotis Eucharistiam sumere. Qui ex duplici domicilio duplici gaudet parochia, in qualibet valet communicare.

58. Laici familiares religiosorum intra septa degentes possunt sumere communionem paschalem in monasteriis, quia sicut ibi possunt, inconsultis Parochis, sepeliri: ita etiam possunt sacramenta suscipere. Sic Illustriss. Lambertinus *Inst.* 55. ubi præfata approbat his tribus conditionibus: *Ut actu inseruiant intra eorum septa, ac domos resideant; ac sub eorum obedientia vivant.* Unde fallitur *Conc. Tom. v. pag. 271. n. 6.* id ipsum concedens famulis conjugatis noctu extra coenobium dormientibus, isti enim non dicuntur residere intra septa monasterii. Nec similiter famuli, aut famule monialium commorantes in domibus contiguas earum monasteriis; ut habetur ex declaratione sacræ Congregationis relata ibidem ab eodem Lambertino.

59. Inq. 4. An regulares in propriis Ecclesiis possint Eucharistiam secularibus in die Paschæ ministrare? R. licet regulares Eucharistiam tempore paschali, ac etiam hebdomada majori valeant ministrare omnibus ex devotione illam sumere cupientibus; minime vero in prima die Resurrectionis. Constat ex *Syn. l. 9. c. 16. n. 3.* Et ex *Bulla Magno cum animi*, expedita a Bened. XIV. die secunda Junii 2751. ubi de more copiosam congerens eruditionem statuit nostram assertionem: quam accurate notare debent regulares, ut sicut cæteras, istam etiam apostolicam sanctionem ad unguem observent. Nec decipiantur doctrina Concinæ, qui *ubi supra n. 3.* veram appellat contrariam opinionem, esto alias sententias non adeo clare menti Ecclesie oppositas soleat falsas indigitare. Nos autem indicamus has, & quasdam alias assertiones hujus Theologi,

logi, alias præclari, ne quisquam cespiter; ac reducat eas in praxim absque ulla indagine.

60. Inq. 5. Quas pœnas incurrant omitentes absque causa, vel indigæ peragentes confessionem annualem, & communionem paschalem? R. In jure non dari pœnas latas contra hujusmodi transgressores. Verum in cap. *Utriusque sexus* assignatur duplex pœna ferenda, nempe privatio ingressus Ecclesie in vita, & sepultura ecclesiastica post mortem. In singulis Diœcesibus solent Episcopi statuere censuras latas contra inobedientes: ideo cujusque loci consuetudines, & synodalia statuta inspici debent. In Diœcesi Calagurritana imposita est excommunicatio ipso facto incurrenda contra omitentes communionem paschalem, quæ censura incurritur ab omnibus, qui saltem in Dominica in albis non adimplent præceptum communionis. Ita habetur in ejus constitutionibus synodalibus *Titul. 8. de pœnis. & remissionib. const. 3.*

61. Hoc advertant, doceant, & prædicent Parochi. Pures enim prætextu ignorantie aliam concedi hebdomadam pro adimplitione præcepti sibi suadere presumunt, unde suam desidia, & oscitantiam falsa illa præsumptione foventes, transgrediuntur præceptum, atque excommunicationem incurritur; hæc autem incursum non est casus Episcopo reservatus, nisi post denuntiationem nominatim altera Dominica publicatam, ut ibidem cavetur *Constit. 21.*

62. Si Parochus agnoscat aliquem, vel aliquos communionem paschalem omittere, secreto eos moneat. Si monitio privata non prosit, comminetur e suggestu generaliter, quod si quis reperitur negligens in materia, se emendet; alias erit denunciandus Episcopo, vel publice in tabella, si adsit excommunicatio synodalis contra eos in Diœcesi statuta.

CAPUT IV.

De jejuniis ecclesiasticis.

O mnes catholici venerantur, ut par est, & unanimiter amplectuntur jejunia ab Ecclesia præscripta, despicientes sophismata recentiorum hæreticorum, qui

esto concedant jejunium fuisse præceptum in lege veteri, negant tamen ab Ecclesia posse præcipi, tenerique christianos illorum observantia. Quo abjecto errore, pro jejunii ecclesiastici explanatione sit.

PUNCTUM I.

De præcepto ecclesiastico jejunii.

63. Inq. 1. Quotuplex sit jejunium? R. Quadruplex jejunium distinguunt communiter Doctores. *Primum est spirituale*: hoc est abstinere a vitiiis, quod jejunium magnum appellatur a D. Agostino, & metaphorice dicitur jejunium. *Secundum est jejunium naturale*, seu naturale: scilicet abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu. *Tertium est jejunium virtutis*, seu morale, nempe abstinentia a cibo, & potu juxta regulas temperantia. *Quartum*, & ultimum est jejunium ecclesiasticum, & de hoc communiter vox jejunii accipitur, & agimus in præsentia, definiuntque: *parisimonia vitiiis, abstinentiaque ciborum juxta formam ab Ecclesia præscriptam.* Sic colligitur ex S. Isidoro relato a D. Thoma 2. 2. q. 147. art. 2. & 3.

64. Inq. 2. An jejunium sit actus virtutis honestus, & meritorius apud Deum? R. affirm. Ita D. Thom. loco citato art. 1. dicens: *Respondeo dicendum, quod ex hoc est aliquis actus virtuosus, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum. Hoc autem convenit jejunio. Assumitur enim principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimentibus. Secundo assumitur ad hoc, quod mens libertus elevetur ad sublimia contemplanda. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis. Unde Joel 11. dicitur: convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, in fletu, & planctu.*

65. Præter utilitates spirituales recensitas a D. Thom. plures etiam corporales assert observantia jejunii. Nam ut dicitur *Ecl. 37. Qui abstinet est, adjiciet vitam.* Sobrietas enim non solum sacritatis, sed sanitatis, & longevitatis est mater, & nutrix; Unde Paulus eremita, Antonius, & alii anachoretæ summam sanctitatem, nec non longævam ætatem per jejunium, & sobrietatem fuere assecuti. Imo ante diluvium homines carne, & vino abstinentes ad nongentos annos, & ultra vitam ducebant.